

§. 7. (x) Alii autem sic: Naturam ab uno corporum genere ad alterum non procedere per saltum, sed in uno commorari, & in progressu ad alias aliquas species, priorum in his imagines delineare. Itaq; sicut Natura à plantâ per spongiâs & ζωοφυτὰ seu plantanimalia ad perfectum animal brutum, & per simiam ad hominem sensim ascendit: Ita ab inanimatis ad plantam, per rudimenta quædam plantarum, paulatim proficit: adeoq; conformatio illa quorundam veluti membrorum, quæ in lapidibus & metallis insensibilibus apparet, nihil est aliud, quàm rudimentum quoddam Naturæ, membra & organa plantarum animaliumq;ve facere, ut sic dicam, condiscantis.

§. 8. Aliorum ab his sententia est: Naturæ non esse insolitum accommodare sese ad ea, quæ in illâ Regione magni aestimantur, aut quorum usus inibi locorum sit tritissimus; ad hæc ipsi Naturæ, in inanimatorum productione, alludere, nihil esse alienum. Hi vero Terram vivere præsupponunt (y) ita ut insit ei facultas formatrix, illi similis, quæ est in fœminis: ut species foris occurrentes, intus exprimat, uti naves, pisces, Reges, Pontifices, Monachos, milites fossiles.

§. 9. Illi demum, qui III. distinctè in causa determinandâ procedunt pro figurarum qualitate, huic aliam aliam illi assignant.

§. 10. Ex (z) Cardani iudicio duo sunt figurarum & imaginum genera: *Primum* quod semper in iisdem lapidibus apparet, & hoc à natura statuit provenire, quæ non secus ac in plantis foliorum & fructuum numerum servet ac rationem. E. l. adducit lapidem nigrum serpentem repræsentantem, lapides in quibus sigillum Salomonis expressum, Cap. I. §. 12. & 19. allatos.

§. 11. Hoc genus in duo subdividit: *Unum* quod quasi casu fiat, & tamen necessario, velut rotunditas eorum, qui in mari nascuntur, quæ longo fluctuum attritu quicquid promineat exedente, proveniat; itidem illorum, qui in Poloniâ extrahantur ollarum formâ, quæ à circumpositione alterius lapidis dependeat. *Alterum* vero, quia Natura hanc formam propriè delegerit, & sibi pro fine proposuerit, ut in insulæ Cubæ lapidibus. Sed hoc alterum genus iterum subdividit.

§. 12. (x) Fromondus Philos. Christian. de Anima, Lib. 1. cap. 1. pag. 13. (y) Kepler. lib. 4. c. 7. Harmon. Confer Campanell, lib. 3. c. 5. de Sensu. (z) de Subtil. lib. 7. p. 201. seq.